



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

IV. Constitutio promotionis exercitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

STatuimus autem ut Ecclesie Dei per totius regni nostri fundatæ terminos sub nostræ emunitatis tuitione securæ cum rebus & familiis permaneant ceu prædecessorum nostrorum piissimorum videlicet Augustorum temporibus fuisse probantur, earumque rectores propriis utantur privilegijs, & monachi per sua cœnobîa regularem teneant ordinem. Similiter & clerus omnis proprio fungatur ministerio, nemine molestante nostri terroris formidine.

II.

Sancimus nihilominus ut singuli Comites & actores reipublicæ in suis ministerijs legalem procurent populo facere justitiam, pupillos & viduas protegant, per loca solita restaurent palatia quibus, cum iter dictaverit, nos legatosque nostros valeant recipere, ne gravetur Ecclesia. Quando etiam Episcopos, Abbates, vel Comites, seu fidelium nostrorum quempiam in propria villa morari contigerit, cum suis in suis maneat domibus, nec sub obtentu hospitij vicinos opprimant, vel eorum bona diripiant.

III.

Denique quia Christi custodiende clementia neminem injustè privavimus, sed neque privari absque legali sanctione aliquem nostrorum fidelium volumus beneficio, jubemus ne quis suum depravet ullo modo, sed instauret securiter, ne qui dirigendi sunt à nobis undique, si depravata repererint, legaliter emendare compellantur, & eos deinceps perfrui prohibeant.

Porro cum ad nostrum quilibet nostrorum fidelium properat obsequium, tam eundo quam redeundo gradiatur pacificè, & ni generalis utilitas cum scaritis veniat in statutis, juxta maneat. Episcopus & Comes, per quorum transeunt terminum, diligenter provideant ne molestantur incolæ, aut eorum domus per vim patiantur invadere, vel propria diripere absque pretio. Sed neque indignè per solita loca lectum, focum, aquam & paleam hospitibus denegare aut aquam carius quam vicinis audeant vendere.

V.

Igitur quia hæcenus in regno nostro frenatè vixisse nulli est ambiguum, sancimus unumquemque suorum hominum sollicitudinem gerere, ne solitam rapinam patrare præsumant. Qua pro re si quis arctatus suum seniorem dimiserit, penitus interdicimus ne recipiatur ab altero; quatenus nisi corrigi voluerit, à nostri regni penitus excludatur finibus.

VI.

Hæc olim sæpe inculcata, & augustali nostra sanctione promulgata, quia ex parte in aliquibus videntur neglecta hæcenus, acriori ulcisci debuerant examine. Attamen nostra mansuetudine ut corrigantur quantulumcunque largimur spatium, quò quique neglecta emendare valeant, destituti post modicum legatos strenuos emendata inquirere. Qui verò negligens repertus fuerit, proprijs honoribus nostro privabitur judicio.

TITVLVS IV.

Constitutio promotionis exercitus observationis partibus Beneventi, sub Indictione quinta decima.

C A P. I.

QVicumque de mobilibus vvidrigid suum habere potest, pergat in hoste. Qui verò medium vvidrigid habet, duo juncti in unum qualitatem instruant ut bene ire possint. Pauperes verò personæ ad custodiam maritimam vel patriæ pergant, ita videlicet ut qui plusquam decem solidos habet de mobilibus, ad eandem cu-

Tom. II.

stodiam vadant. Qui verò non plus quam decem solidos habet de mobilibus, nil ei requiratur. Si pater quoque unum filium habuerit, & ipse filius utilior patre est, instructus à patre pergat. Nam si pater utilior est, ipse pergat. Qui vero duos filios habuerit, quicumque ex eis utilior fuerit, ipse pergat. Alius autem cum patre remaneat. Quòd si plures filios habuerit, utiliores omnes pergant. Tantum unus re-

Z ij

maneat, qui utilior fuerit. De fratribus indivisis, juxta Capitularem Domini genitoris nostri volumus ut si duo fuerint, ambo pergant. Si tres fuerint, unus qui inutilior apparuerit, remaneat, ceteri pergant. Si quoque plures omnes utiliores apparuerint, pergant, unus inutilior remaneat. De qua conditione volumus ut neque per præceptum, neque per advocacionem, aut quamcunque occasionem excusatus sit, aut Comes aut Gastald vel ministri eorum ullum excusatum habeant, præter quod Comes in unoquoque comitatu unum relinquat qui eundem locum custodiat, & duos cum uxore sua. Episcopi ergo nullum laicum relinquunt. Quicumque enim contra hanc institutionem remanere præsumpserit, propriis ejus amissis, quod subter ordinatum habemus, præfentialiter ad nostrum opus recipere jussimus, & illum foras eicere.

II.

Omnibus enim notum esse volumus quia jam à prioribus nostris juxta hanc institutionem tulta fuerunt, sed prima recuperare meruerunt. Nunc autem certissime scitote, cujuscunque proprietates tulta fuerint, vix à nobis promerebitur recuperacionem.

III.

A fluvio Pado usque Trebia sit Missus Lotfelmus. Inter Padum & Ticinum Eriulfus. Inter Ticinum & Adda Erembertus. Inter Adda & Addiza Landebertus. Ab Addiza usque ad Forum Julij Theobaldus, Petrus & Arthemius Episcopi, junctis secum Missis Episcoporum & Comitum, Pifa, Luca, Pistoris, & Lunis. Theutmundus Florentia, Volterra, & Aristio. Rotfelmus Vlusid, & Sena Andreas. In ministerio Witonis, Rimmo & Iohannes Episcopus de Forcona. In ministerio Verengari, Hifelmundus Episcopus. In littore Italico Ernefridus, Macedo, & Vulferius.

IV.

Hi volumus ut populum ejiciant, & custodiam prævideant, & populum in castella residere faciant, etiam & cum pace. Nam si Missus aliquis ausus fuerit prætermittere, qui nominibus remanserint, præfentialiter proprium tollant, & eum foris ejiciant. Et si inventus fuerit ipse Missus, proprium suum perdat. Et si Comes aliquem excusatum, aut bassallum suum, præter quod superius diximus, dimiserit, honorem suum perdat. Similiter eorum

ministri, si aliquem dimiserint, & proprium & ministerium perdant.

V.

Quòd si Comes aut Bassi nostri aliqua infirmitate remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint, aut Abbates vel Abbatissæ si plenissime homines suos non direxerint, ipsi suos honores perdant, & eorum bassalli & proprium & beneficium perdant.

VI.

Si quoque Episcopus absque manifesta infirmitate remanserit, pro tali negligentia ita emendetur ut in ipsa marcha resideat quousque alia vice exercitus illuc pergat, in quantum Dominus largire dignatus fuerit.

VII.

Et ut certissime sciatis quia hanc expeditionem plenissime explere volumus, constituimus ut Episcopus, Comes, aut Bassus noster, si in infirmitate incerta detentus fuerit, Episcopus quippe per suum Missum, quem meliorem habet, Comes verò & Bassi nostri per se ipsos hoc sub sacramentum affirmant quòd pro nulla occasione remansissent nisi quòd pro certissima infirmitate hoc agere non potuissent.

VIII.

Omnes enim volumus ut omnem hostilem apparatus secum deferant, ut cum nos hoc prospexerimus, & inbreviare fecerimus, non negligentes appareant, sed gratiam quoque nostram habere mereantur.

IX.

Vestimenta autem habeant ad annum unum, victualia verò quousque novum fructum ipsa patria habere poterit. Fragidus enim quicumque eundo & redeundo commotionem fecerit, vitæ incurrat periculum.

X.

Et quia temporis congruentia imminet quadragesimale, in quo studenda sunt præcepta Dei, constituimus ut quicumque Ecclesiam fregerit, adulteria & incendia fecerit, vitæ incurrat periculum. Quicumque caballum, bovem, friscingas, vestes, arma, vel alia mobilia tollere ausus fuerit, triplici lege componat, & liberum armifera, id est, sella, ad suum dorsum ante nos à suis semotus bis dirigatur, & usque ad nostram indulgentiam sustineatur, servi verò flagellentur & tundantur, & illorum domini, quæ ipsi tulerunt, restituant. Quòd si clamor ad seniores venerit, & ipsi talia non emendaverint, tunc horum se-

niores ipsam compositionem faciant, & eadem armifcara, quādiu nobis placuerit, sufficere compellantur.

X I.

Et hoc constituimus, ut ex utraque parte iustitia seruetur, videlicet nostri sicut circa vicini, quæ necessaria sunt, emenda. Vicini autem nullatenus carius quā suis circa vicinis vendere præsumant.

X II.

Qui verò homicidia indifcretè & præ-

sumptiosè fecerit, vitæ incurrant periculum.

X III.

Iter enim erit nostrum per Ravennam, & immediatè mensè Martij in Piscariam, & omnis exercitus Italicus nobiscum. Tusciani autem, cum populo qui de ultra veniunt, per Romam veniant ad Pontem Curvum, inde Capuam, & per Beneventum descendant nobis obviam Luceria
V I I I. Kalendas Aprilis.

F R A G M E N T A C A P I T V L A R I V M.

De dubia conventionē.

Ex cod. Romanensis. I. Siquis de conventionē ulla aliquem interpellaverit, non per postremas aut adjacentes, sed per primarias rationes, juxta quod in primis res facta se habuit, tractetur. Quod si testes legitimi adfuerunt conventioni, juxta testimonium eorum maximè, non aliis posteris occasionibus quæ per primam stipulationem quod factum est, oportet definiri.

Si servus Clericus fiat.

Ex cod. II. Si servus sciente & non contradicente domino in clero fortitus sit, ex hoc ipso liber & ingenuus fiat. Si enim ignorante domino consecratio facta fuerit, liceat domino intra annum tantum conditionem probare & proprium servum recipere. Si autem servus sciente vel ignorante domino, secundum ea quæ diximus, ex ipso honore clericatus libertatem meritus, postea ecclesiasticum ministerium reliquerit, & ad laicorum vitam transferit, domino suo in servitio tradatur. *Ex Novella constitutione cxxiii. Imp. Iustiniani cap. 17.*

Si Ecclesie aliquid sui juris defraudatum fuerit.

Ex cod. III. Si Ecclesie aliquid sui juris defraudatum fuerit à pravis procuratoribus aut prece aut pretio aut privata gratia præcessorum, successoribus omni tempore liceat inferre calumniam: quia nullo tempore Ecclesia debet suum jus amittere, præter mobilem possessionem, ut est aurum, argentum, vestes, aut pecora, aut domus. Prædia verò, terras, villas, Ecclesias, census, quia inde magni redditus

possunt exire in commune bonum, nulla commutatione nullo pacto liceat ad proprietatem alicujus transferre. Quod postquam compertum fuerit, rescindatur.

De non accipiendis qualibuscunque personis in iudicio, in accusatione, & testimonio.

IV. Hoc sancimus, ut in palatii nostris ad accusandum & iudicandum & testimonium faciendum non se exhibeant viles personæ & infames, histriones scilicet, nugatores, manzeres, scurræ, concubinarij, neque ex turpium feminarum commixtione progeniti, aut servi, aut criminosi. Frequenter enim homines huiusmodi ex suspitione conversationis pravæ & naturæ, ut inferiores non videantur, quod placet asserere nituntur contra digniores.

De nonis & decimis.

V. Quicumque nonam & decimam admonente Episcopo vel Abbate vel quolibet alio rectore ad primam ejus admonitionem dare contempserit, regia potestate cogente easdem decimas & nonas solvat, & insuper ad partem ejusdem Ecclesie legem suam componat. Si secundò admonitus prædictas nonas & decimas reddere neglexerit, cum eisdem nonis & decimis bannum dominicum persolvat. Nam si tertio admonitus in eisdem nonis & decimis dandis neglegens evenerit, res Ecclesie, de quibus easdem nonas & decimas dare debuerat, penitus amittat. Nonæ verò & decimæ tantum de annonæ, legumine, vino, fœno, & nutrimine, & omnis generis animalium dandæ sunt. Et hi qui nonas & decimas dare debent, juxta